

INTRODUCTIONIS EXEGETICAE

IN

SACRAM SCRIPTURAM

PARS PRIMA

—••—

DE VARIIS SACRAE SCRIPTURAE SENSIBUS

Si de libris hominum ageretur haec tractatio praemitenda non esset; cum in huiusmodi libris, quemadmodum in sermone humano, unus semper sit sensus singularum loquutionum, nempe is quem verba iuxta receptas loquendi leges intellecta praeseferrunt. Sed aliter res se habet in libris divinis, ubi praeter verborum sensum, alii etiam occultiores et sublimiores inveniuntur in ipsis rebus per verba expressis latentes, qui nec facile intelligi, nec omnino praeteriri possunt. Hinc non immerito de hac sensuum varietate et multiplicitate in antecessum tractare proposuimus, quemadmodum etiam de aliis quibusdam sensibus qui licet Scripturae ipsi non inhaereant, solent tamen eius verbis affingi.

Sensus alicuius sermonis, vel scripti nihil aliud est nisi *mens auctoris*, seu magis definite: « Sensus est ille conceptus, vel summa conceptuum, quos auctor per suum sermonem, vel per singulas sermonis partes exprimere, et in animis lectorum excitare voluit ». Unde apparet *sensum sermonis* non esse confundendum cum *significatione verborum*. Significatio enim inhaeret verbis seorsim sumptis prout in lexicis continentur, sensus vero adnexus est verbis in quantum ab auctore simul unita et composita sunt, et certis conceptibus suae mentis exprimendis accommodata: unde fieri potest, et non raro fit, ut in aliquo loco singularum vocum *significationem*

apprime teneamus, *sensus* vero, seu ideam quam auctor in mente habuit, et exprimere voluit intelligere non possumus (1).

Qua posita notione dicimus in SS. Scripturis duplicem sensus speciem inveniri pro diversa ratione, qua mens Auctoris exprimitur, vel scilicet per verba, vel per res ipsas prius verbis significatas. Ita rem lucide exponit Angelicus Doctor I q. 1. a. 10. c. « Auctor S. Scripturae est Deus, in cuius potestate est, ut non solum voces ad significandum accommodet, quod etiam homo facere potest, sed etiam res ipsas. Et ideo, cum in omnibus scientiis voces significant, hoc habet proprium ista scientia quod ipsae res significatae per voces etiam significant aliquid. Illa ergo prima significatio, qua voces significant res, pertinet ad primum sensum, qui est sensus historicus, vel literalis: illa vero significatio, qua res significatae per voces iterum res alias significant, dicitur sensus spiritualis: propter quod sensus spiritualis super literalem fundatur, et eum supponit ». Ubi cumque igitur occurrit sensus mysticus duae res considerandae sunt, altera quae significat, altera quae significatur; et sensus mysticus in ipsa re existit antequam in verbis, et tunc tantum verbis Scripturae subest quando istis res illae mysticam destinationem habentes exprimuntur. Res illa quae assumitur in alterius rei signum vocari solet *figura*, vel *typus*, res autem per illam significata appellatur *figuratum*, vel *antitypus*: licet multi auctores discrimen ponant inter *figuram* et *typum*; appellant enim typos illas tantum res quae in V. T. erant signa Christi eiusque Ecclesiae, ceteras autem quae aliarum rerum vel personarum signa erant vocant simpliciter figuras. Figuratum semper nobilius est sua figura, quemadmodum *corpus* excellentias est *umbra* quae eius formam repraesentat. Ob duplicem hunc sensum, alterum obvium in verbis, alterum occultum et sub rebus latentem Hieronymus Scripturam designari putat per *librum scriptum intus, et foris* qui Exechieli oblatum est (Ezechiel. 2.). Haec est generalis et fundamentalis divisio sensuum Scripturae, quam omnes Doctores et interpretes admittunt; differant tamen aliquantulum in vocibus quibus utramque sensus speciem designant. Alii enim

(1) Discrimina inter verborum significationem, et sensum subtiliter persequitur et explicat Ramolder op. cit. Praelimin. cap. II. §. 8, 9.

appellarunt primum illum sensum, qui ex verbis exprimitur *verbalem*, alterum vero per res expressam *realem*; alii primum vocarunt *corporalem* (σωματικόν), alterum *spiritualem* (πνευματικόν); nonnulli vocant primum sensum *immediatum*, alterum *mediatum*, quia scilicet per verba mediantibus rebus exprimitur; alii appellant primum sensum *historicum* vel *grammatico-historicum*, alterum *symbolicum*; demum plerique auctores alterum ex duobus sensibus appellant *literalem* seu *grammaticum*, alterum *mysticum*. Nos postremas hasce appellationes tenebimus. Aliae enim superius memoratae aut ab usu communi remotae sunt, aut aequivocationi obnoxiae esse possunt. *Sensus literalis* seu grammaticus (1) rursus in duas species dividitur, nempe in sensum *literalem proprium*, et *improprium*, seu *metaphoricum* aut *figuratum*, prout verba vel accipiuntur in sua nativa et ordinaria significatione, vel ad aliud significandum ob analogiam transferuntur, quemadmodum in omnibus linguis fieri solet. Ita cum Christus de se aiebat: *Ego et Pater unum sumus*, sensu literali proprio loquebatur, improprio vero seu metaphorico cum diceret: *Ego sum vitis, vos palmites*; non enim proprie erat vitis, sed alio sensu illud ipsum praestabat et praestat discipulis suis quod vitis suis palmitibus, scilicet vitam et foecunditatem, et hoc alterum est quod verbis illis designare volebat, non vero primum, quod esset absurdum. Ita S. Thomas qu. cit. a. 10. ad 3^{am}: « Per voces significatur aliquid proprie et aliquid figurative. Nec est sensus literalis ipsa figura, sed id quod est figuratum: non enim cum Scriptura nominat Dei brachium est literalis sensus quod in Deo sit membrum huiusmodi corporale,

(1) Haec non sunt duo nomina diversa, sed idem nomen vel latine, vel graece prolatum. Quod enim latinis sunt *literae* Graecis sunt γραμματα, unde γραμματικός; idem sonat ac *literalis*. Nonnulli recentiores putantes hanc vocem non satis exprimere naturam huius sensus eum appellare malunt sensum *grammatico-historicum*, vel quia plerumque historiam exhibet, vel potius quia verborum sensus determinatur etiam ab adiunctis externis scriptoris vel lectorum, imo etiam aliquando eum vocarunt *grammatico-logico-historicum* quia etiam logicae sermonis leges in verborum sensu determinando partem habent. Verum non oportet ut rerum nomina totam earum naturam adequate expriment, quod potius ad definitionem, et ad philosophicam rei expositionem pertinere videtur. Contenti igitur simus communi et usitata appellatione *sensus literalis*.

sed id quod per hoc membrum significatur, scilicet virtus operativa ». Quamvis autem in sensu metapharico duplex res implicite contineatur, quarum una est alterius signum, sensus tamen iste cum sensu mystico confundi nequit. In hoc enim duae res signans et signata sunt ambae verae, et a sacro scriptore ut verae et reales traduntur, ut ex. gr. cum Exod. XII describitur agnus Paschalis eiusque ritus, quae omnia vere ac proprie uti leguntur praecepta fuerunt Hebraeis, et quotannis ab eis periciebantur, sed insuper mystice praefigurabant Christum Dominum, eiusque sacrificium; contra vero in metapharica loquitione res signans ab auctore non intenditur ut vera et realis, sed tantum menti lectoris obicitur ut imago sensibilis, sub qua aliquid aliud intelligere debet, ad quod intentio auctoris unice terminatur. Hoc discrimen admittendum est etiam inter *parabolas*, et sensum *mysticum*. In parabola enim factum quod sub forma historica narratur revera non accidit, nec auctor vult illud accipi ut veram historiam, sed tantum ut imaginem sub qua veritas aliqua adumbratur, quam auctor tradere intendit, et quae sola constituit sensum eius sermonis. Quare sensus *parabolarum*, vel *parabolicus*, ut vocari solet, non est species sensus mystici, sed sensus literalis improprii seu metapharici. Similiter accidit in *visionibus* et *symbolis*, quae apud Prophetas adhibentur ad res futuras praedicandas; illa enim nihil aliud erant quam imagines sensibiles oblatas imaginationi Prophetae ad res alias designandas, puta monstruosa illa animalia Ezechieli, Danieli, et Iohanni conspecta ad mysteria divina, vel ad futuras gentium sortes figurandas, minime vero solida ac realia obiecta, ac uti talia a lectoribus habenda, ut fit in locis mysticis. (1) Quare etiam hic sensus quem nonnulli *symbolicum* appellant, ad sensum literalem figuratum, non autem ad sensum mysticum pertinet.

Etiam mysticus sensus in varias species dividi solet. Communis eius divisio, apud veteres Theologos usitatissima, est in tres species, quae vocari solent *allegoria*, *tropologia*, et *anagogia*. Quae divisio ex diversitate rei significatae desumitur. Si enim haec sit aliquid in Novo Testamento futurum tunc eius significatio adnexa

(1) Hoc etiam discrimen, subtiliter declarat angelicus Doctor in Quodlibeto VII. art. 15 ad 1. et art. 16. c.

typo in V. T. existenti dicitur *allegoria* vel *sensus allegoricus*; si res significata sit aliquid documentum morale dicitur *tropologia*, vel *sensus tropologicus*, seu *moralis*, si denique sit patria coelestis dicitur *anagogia* vel *sensus anagogicus*. Hae voces usu potius, quam vi sua nativa determinatam hanc et arctam significationem praeseferrunt, et apud antiquos Patres non ita constanter et accurate inter se distinguuntur. Nam apud quosdam vox anagogia de quolibet sensu mystico, vel saltem de eo qui res divinas et a sensibus remotas denotat usurpata invenitur, ut apud auctorem operis de Coelesti Hierarchia capp. 1. 2, apud Originem De Principiis L. IV. §. 21, Chrysostomum in Ps. XLIX §. 1. et alios, considerata nempe vocis significatione *animum ad altiora evehendi*: idem factum est de voce *allegoria*, quae per se nihil aliud significat quam aliud dicere, aliud verbis significare, vel, ut Quintilianus explicat (Instit. Orator. I. VIII. c. 6) *aliud verbis aliud sensu ostendere*: quare haec vox adhiberi solet in Rhetorica ad designandum sensum literalem metapharicum, cum paulo longior est, et ad integram narrationem vel sermonem extenditur, ita ut *allegoria* definiatur *continuata metaphora*, quo sensu etiam Ecclesiastici scriptores eam vocem aliquando accipiunt; sed etiam cum agunt de sensu spirituali seu mystico Sacrae Scripturae aliquando *allegoriam* vocant generice quemlibet huiusmodi sensum, ut videre est ex. gr. apud Basilium (homil. IX in Hexamer.) et Hieronymum (Comm. in c. 4 Amos). Scholastici tamen doctores hanc vocem specificè usurparunt ad eum tantum sensum mysticum designandum, qui ad Christum, eiusque Ecclesiam refertur (1) id desumentes impropri-

(1) Quoniam varietas significationis maxime in voce *allegoria* locum habet, operae pretium duximus omnes eius acceptiones sub uno conspectu hic proponere, ut aequivocationi vel confusio in posterum aditus praecludatur. Imprimis itaque notandum est *allegoriam* aliud significare apud grammaticos et *rhetores*, aliud vero apud *theologos*. In usu loquendi rhetorico *allegoria* est species sensus literalis figurati, seu continuata metaphora, ut est ex. gr. illa pulcherrima de navi in tempestate deprehensae qua pericula reipublicae adumbrantur apud Horatium Od. l. 1 ode XII. In usu vero *Theologico* *allegoria* non est praecise verborum sensus, sed potius rerum, et ex rebus haustus. Rursus autem id accipitur tribus modis: aliquando in sensu *strictiore* pro specie illa sensus mystici qui ad Christum refertur, ut supra diximus, aliquando in sensu *latiore* pro quolibet sensu mystico, aliquando denique in sensu *la-*

mis ex testimonio Pauli, qui Gal. IV, allata in medium historia duarum uxorum, et duorum filiorum Abrahami (Gen. XII, XVI), subdit: « *quae sunt per allegoriam dicta. Haec enim sunt duo testamenta* » quibus declaratis concludit v. 31: « *Itaque, fratres, non sumus ancillae filii, sed liberae: qua libertate Christus nos liberavit* ». Tres istae species mystici sensus, una cum sensu literali duobus hisce versiculis memorialibus comprehendi solent:

*Litera gesta docet, quid credas Allegoria,
Moralis quid agas, quo tendas Anagogia.*

Nonnulli etiam antiqui theologi singulis hisce sensibus assignabant unum ex quatuor Doctoribus maximis Ecclesiae Latinae, qui in unius vel alterius expositione imprimis excellere videbatur; atque ita sensui literali dabant Hieronymum, allegorico Augustinum, morali seu tropologico Gregorium M. et anagogico Ambrosium; nec difficile esset idem animadvertere de Doctoribus Ecclesiae Graecae. Notari etiam potest tres species sensus mystici pulchre respondere tribus virtutibus theologalibus, ita ut Fidei respondeat allegoria, Spei anagogia, et Charitati tropologia, ut ex rei natura patet. Omnes autem hi sensus possunt in uno eodemque loco Scripturae inveniri, cuius rei exemplum afferri solet Ierusalem, vel loca ubi Ierusalem laudes celebrantur ex. gr. Psalm. 47, et Ps. 86; quae quidem in sensu literali et historico de urbe principe Iudaeorum intelligenda sunt, in sensu allegorico de Christi Ecclesia, aut etiam de B. Maria Virgine, in sensu anagogico de patria coelesti, in sensu morali de anima fidelium in genere et de mystica eius unione cum Deo.

Alia divisio sensus mystici apud recentiores passim recepta est pariter in tres species, quas vocant sensum mysticum *historicum*, seu commemorativum, *moralem*, et *propheticum*. Historicus est qui rem gestam in memoriam revocat, ut erat agnus Paschalis, eiusque ritus institutus ad commemorandam liberationem primogenitorum Iudaeorum in Aegypto commorantium ab universalis terrae

tissimo pro omni sensu qui ex rebus in s. Scriptura relatis quomodoenimque erui potest etiam praeter mentem auctoris, seu per meram accommodationem, quo sensu vocari solet interpretatio *allegorice* methodus illa Scripturas exponendi, cui Origenes eiusque aemulae potissimum indulgebant.

(Ex. XII, 14); moralis qui virtutis documentum insinuat ut ex. gr. circumcisionis ritus resecationem vitiorum significabat (Lev. XXVI, 44, Deut. X, 16, XXX, 6); propheticus vero qui rem futuram adumbrat, quem quidem subdividunt in *simpliciter propheticum*, qui rem intra tempus eiusdem veteris Testamenti futuram portendebat, ut fuerunt mysticae illae actiones quorundam prophetarum quibus illi saepe tristitia vel laeta populo praedicebant, ut ex. gr. occurrit Is. XX, 1-4, Oseeae I, 2-9, Ier. XXVII. 1-3, Ezech. IV. 1-17 etc. et *strictè propheticum* vel proprie *typicum*, qui ad Christum et Ecclesiam refertur, ut ex. gr. memoratus ritus Agni Paschalis quatenus typus erat sacrificii Christi (Io. XIX, 36).

Et haec quidem de sensus cum literalis tum mystici notione et divisionibus. Nunc de utroque seorsim tractandum est, et variae de iis quaestiones proponendae; quibus in fine addemus nonnulla de sensu quem vocant *accommodatum*, vel *accommodatitium*, qui licet proprie sensus Scripturae non sit, verbis tamen eius affingi solet, et est magni usus praesertim in theologia ascetica, et pastoralis.

CAPUT II.

DE LITERALI SACRARUM SCRIPTURARUM SENSU

Circa sensum literalem Scripturarum duae generales quaestiones fieri solent: 1° an existat et admittendus sit in omnibus et singulis locis; 2° utrum in uno eodemque loco aliquando multiplex sit.

Quaestioni 1^{ae} affirmative prorsus respondendum est. Hinc esto

THESIS I

Sensus literalis sive proprius, sive improprius in omnibus et singulis sacrae Scripturae locis admittendus est.

Haec quaestio videri posset superflua cum Scripturae verba sicut omnis sanae mentis hominum sermo, sensum aliquem necessario praesferre debeant. Verum ex idearum confusione, et ex male intellectis quibusdam veterum Doctorum sententiis originem habuit haec controversia quae hic breviter solvenda est.